temporis, & ſpatium loci differentiam eſſe nullam, præterquam relationis. Hinc qui ſemel illud conſtituit animo, Deum ab æterno eſſe, ne quæri quidem patitur, an immenſus ſit. Scit enim, eum, qui ſatis ſibi ipſi eſt, ut ſemper ſit, ſatis etiam eſſe, ut ubique ſit. Quodſi igitur nunc ego in extremis Americæ finibus poſitus, cum Magiſtratum, qui illic eſt, loquentem regis mei nomine audio, tametſi hic mille & octingentis leucis à me diſtet, ſic tamen accipio, tanquam regem ipſum loquentem audirem: quid eſt, quod in divinis rebus poſt annos mille & octingentos Magiſtratum Dei mei, quem neque temporum, neque locorum circumſcribere ſpatia ulla poſſunt, non perinde accipiam loquentem atque teſtantem, tanquam ſi Deum ipſum audirem. Quod diſtantia locorum in humanis non poteſt, id temporum ſcilicet in divinis poſſit? Mira res! Quidvis capimus, hoc unum non capimus.

§. VIII.

Reſtat tertium, quod ſubducere ſtatueramus, peregrinum illud quidem hoc loco fortaſſis, ſed neceſſarium, ex quo noſter ille, ut ſuum iſtud tueatur, credi à Proteſtantibus divinâ fide poſſe revelata in ſacris ſcripturis, tametſi, quænam ſint eæ

ſcrip-

ſcripturæ, nonniſi humanâ traditione conſtet, eo ut fit, diſputando prolapſus eſt, ut ipſam Catholicorum *fidem de Eccleſiæ infallibilitate, ultimato authoritate nonniſi humanâ niti diceret.* Quod Moguntinorum confirmat judicio: qui in eâ parte Ephemeridum, in quâ Clariſſimi Wieſtii hanc ſententiam perſtringunt: *Exceptis Catholicis neminem ſcire, an habeat veram ſacram ſcripturam, fidemque Proteſtantium authoritate mere humanâ niti*, virum doctiſſimum vitioſi, quod ajunt, circuli poſtulant.

Hoc igitur eſt rancidum illud, atque obſoletum: Catholici ſcripturam ex authoritate Eccleſiæ, tum viciſſim authoritatem Eccleſiæ ex ſcripturis deducunt. Id ne fiat, in teſtimoniis mere humanis ſiſtamus. Breve eſt, quod reſpondemus. Quis unquam ſenatum cuſtodem, atque interpretem legum vitioſi circuli poſtulaverit, ſi de authoritate rogatus ſuâ, hanc ex ipſis legibus doceat? Atqui & legem deſignat ſenatus cum authoritate, & authoritatem lex ipſa ei conciliat. Quamobrem ita habeamus. Exiſtere Eccleſiam, qualem hactenus eam deſcripſimus, rem eſſe, quæ probari non debeat, perindeque amentem

eum

eum fore, qui exigeret, atque is, qui demonſtratum vellet, exiſtere Francorum à Clodovæo, aut Carolo Magno fundatum regnum. Exiſtere autem quamprimum poſuimus; authoritatem hoc ipſo ſuam oſtendit teſtimonio non alieno, ſed proprio: Nam id ex notione cujuscunque corporis per ſeſe fluit. Eſt enim quodlibet corpus velut individuus quidam ſui ipſius teſtis, isque publicus, & immortalis, & cui ſe opponere, niſi qui reſecari ut membrum putridum velit, nemo poſſit. Cum autem Eccleſia non qualecunque corpus, ſed theocraticon ſit, & Apoſtolos divino perfuſos Spiritu, ab eodemque edoctos, Chriſtumque ipſum, qui illius & Author, & Rex, & caput eſt, in notione ſuâ includat; quo modo mere humanum dici teſtimonium hoc illius de ſe ipſa queat, nos nullâ viâ intelligimus. Neque ſunt hæc diſputata, ut forte quiſpiam dicet, ſubtilius: veriſſima ſunt; qui rem aliter mente informaverit, næ is quam longiſſime adhuc ab Eccleſiæ verâ notione abſit! Dicamus iterum, ſed verbis quatuor. Eccleſia *corpus unum, aſpectabile, perpetuum*, Eccleſia, corpus *ab ipſomet fundatum Deo*; fundatum, & *magiſtratu inſtructum perpetuo*; nec vero aliam fundatum ob cauſam, quam

ut

ut esset hoc commune quoddam certissimumque perfugium, quo se recipere ii omnes possent, quibus pura Religio cordi foret: Profecto aut esse hujusmodi corpus nunquam debuit; aut si est, si existit reipsa, quod negari non potest, authoritate circumdatum sit oportet, in quam error non cadat. Tam igitur parum testimonio humano authoritas ista Ecclesiæ nititur, quam parum hoc: esse me hominem ratione præditum. Ut sim, id quidem necesse non erat. Quare sensuum probari testimonio debet. At posteaquam sum, rationalem me esse, tam est consequens, ut, qui probatum vellet, stultorum dignus carcere magis, quam hominum societate censeretur. Quid igitur? Ecclesia, posteaquam authoritatem hanc suam sibi congenitam jam inde, ex quo orta est, velut scriptam in fronte, ut ita dicamus, satis diu gestaverat, si subinde, cum opus est ad cervices duras subigendas, ex ipso etiam codice legum, quâ is parte ab omnibus admittitur, eandem non tam probandi, quam persuadendi causâ inculcet; an erit in circulum revoluta hæc ejus oratio?

At saltem existere hujusmodi corpus id utique testimonio humano tantum docemur?

Jocu-

Jocularis excurſio! An revelatione igitur opus eſt, ut habere me aures conſtet, quibus audiam; oculos, quibus videam? Audio Eccleſiam, video, lego. Quod audiam, videam, legam, antecedunt iſta fidem, non ingrediuntur. Senſibus enim, ac ratione præditis ea imperatur, non ſtipitibus ſenſu ac ratione carentibus; neque ideo imperatur, ut ſenſum rationemque det, ſed ut nos ſenſu, ac ratione utamur. Atque hæc hactenus, quoniam compulſi ſumus. Nihil enim ferre minus poſſumus, quam in Theologia novitatem. Quæ ſuperſunt, quoniam occupata jam ſunt, poſſunt brevibus confici.

§. IX.

Proteſtantium, ex quo ſeceſſionem à nobis fecerunt, doctrina palmaris eſt, quidquid credendum nobis divinâ fide præcipitur, id in ſcripturis ſacris comprehendi. Quocirca quidquid eſt ejuſmodi, ut illius aut nulla fiat, aut non explicata ſatis in iiſdem ſcripturis mentio, id inter fidei referri capita non oportere. Multa his opponi à noſtris conſuevêre, in quibus diluendis fruſtra hactenus laboratum fuit.